ficati nostri anno nono POSTQUAM VERO QUIDEM litterarum apostolicarum presentacionem recepcionem et apericionem
nobis et per nos ut premittitur factas fuerunt per prefatum dominum Antonium martini de castales principalem
propterea coram nobis personaliter constitutum debita cum instancia requisiti quatinus ad earum et in eis con
tentorum plenariam execucionem procedere curaremus iuxta traditam seu directam per easdem a sede apostolica
nobis formam . Nos igitur tellius de buendia doctor et archidiaconus iudex et commissarius prefatus
attendentes requisicionem huiusmodi fore iustam et racioni consonam volentesque mandatum apostolicum nobis
in hac parte directum reverenter exequi ut tenemur productis primitus coram nobis per prefatum
dominum martinum principalem nonnullis testibus fidedignis ac certis publicis instrumentis ad in
formandum animum nostrum ac pro verificacione omnium et singulorum in dictis litteris apostolicis contentorum
ipsisque testibus per nos receptis et admissis et in forma iuris iuratis et examinatis eorumque
dictis et deposicionibus auditis diligenter et intellectis instrumentis huiusmodi inspectis fideliter et
sufficienter recognitis quia tam ex dictis et deposicionibus testium predictorum ut premittitur receptorum
iuratorum et examinatorum quam aliis legitimis documentis coram nobis productis et exhibitis ut
prefertur ipsum dominum Antonium martini de castales in studio salamantino in iure canonico per plures
annos studuisse ibidemque bachalariatus gradum in iure canonico sex cursibus peractis suscepisse Et quod
doctoratus gradus propter immoderatas expensas in similibus fieri consuetas suscipere nequeat ut
optat Omniaque alia et singula in dictis litteris apostolicis expressa deducta et narrata vera fuisse et esse nobis
legitime constitit Deinde auctoritate apostolica nobis commissa tres Egregios et famosissimos sacrorum canonum
legumque professores pro rigoroso examine explicando nominandos duximus et nominavimus ac adhi
buimus quibus sic nobis adhibitis prelibatus dominus Antonius martini punctum in iure canonico pro
dicto examine subeundo sibi assignari humiliter postulavit Nos vero peticionibus suis annuentes librum
decretalium aperuimus et prout accidit venit Capitulum ij. de donacionibus Et similiter in decreto xvij.
q. iiij. c. quod subdiaconum occiderit proposuit in dicto examine die hora vesperorum legendum et disputandum
cum suis conclusionibus et intellectibus necnon dictis dictorum et similium ut moris est in salamantina
universitate in nomine domini duximus assignandum et statuendum prout statuimus et assignamus
illaque incontinenti dictis dominis doctoribus duximus intimanda et notificanda prout intimavimus et no
tificavimus quibus sic paratis tandem hora predicta statim et incontinenti rigurosum examen intravit
in quo solita colacione facta et rubrica cum littera utriusque textus notabiliter comentata tam in legendo con
clusiones diversas ex textibus huiusmodi inferendo roborando sustinendo dicta doctorum et similium recitando et
diversissime rigurose disputando quam etiam in aliis emergentibus ac incidentalibus positis et inopinatis questio
nibus ac fortissimis subtilissimisque argumentis tam per nos quam per alios nobis adhibitos Egregios
professores contra eum summo cum studio factis respondendo et replicando valde eleganter et subtiliter se
habuit in tantum ut ab omnibus doctoribus prefatis eum audientibus valde laudatus extitit Illo denique
a loco disputacionis huiusmodi ut est moris excluso ac consilio maturo inter nos et prelibatos dominos
doctores iuxta deum et nostram eorumque consciencias desuper sufficiencia et ydoneytate ac doctrina dicti domini
Antonii martini nostrique et doctorum eorumdem omnium desuper habito quanto fragilitas humana nosse
sivit ex lectionibus conclusionibus illacionibus disputacionibus questionumque doctorum responsionibus ac
alias per ea que tunc videbamus et cognoscebamus racionabiliter moti eundem dominum Antonium martini
de castales ut premittitur examinatum ad huiusmodi doctoratus gradum in iure canonico facultate ydoneum
aliudque canonicum non obstantibus propter litteras apostolicas predictas impediri valerent Ideoque ipsum dominum
Antonium martini ad nos convocatum et id postulantem ad gradum et insignia doctoratus huiusmodi
pro sue libito voluntatis recipiendum et assumendum licenciandum duximus Sibique plenam et
omnimodam nemine discrepante dedimus licenciam et etiam facultatem Quibus sic peractis paulo
post ipse dominus Antonius martini iam per nos in iure canonico licenciatus preposita ab eo quadam
brevi collacione ut est moris doctoratus gradum et insignia huiusmodi sibi conferri et assignari ipsumque in
dicta facultate doctorem fieri Et sibi omnia et singula doctoratus insignia que ceteris in dicto iure cano
nico doctoribus in studio salamantino dari consueta sunt tradi et concedi ipsumque numero cetui et con
sorcio aliorum in eadem facultate doctorum aggregari per nos humiliter postulavit Nos tunc attendentes